

XVIII. Tunc ostenta faciunt priuata ac publica, 55
uua dependente in domibus templisque, saepe expiata
magnis euentibus. Sedere in ore infantis tum etiam
Platonis, suauitatem illam praedulcis eloquii porten-
dentes; sedere in castris Drusi imperatoris, cum
prosperrime pugnatum apud Arbalonem est, haut-
quaquam perpetua haruspicum coniectura, qui dirum
id ostentum existimant semper. Duce presso totum 56
tenetur agmen, amisso dilabatur migratque ad alios.
Esse utique sine rege non possunt. Inuitae autem
interemunt eos, cum plures fuere, potiusque nascentium
domos diruunt, si prouentus desperatur. Tunc
et fucos abigunt. Quamquam et de his uideo dubitari 57
propriumque iis genus esse aliquos existimare, sicut
furibus, grandissimis inter illos, sed nigris lataque aluo,
ita appellatis quia furtim deuorent mella. Certum
est ab apibus fucos interfici; utique regem non habent.
Et quo modo sine aculeo nascantur in quaestione
est.

Vmido uere melior fetus, sicco mel copiosius. Quod 58
si defecit aliquas aluos cibus, impetum in proximas
faciunt rapinae proposito. At illae contra derigunt
aciem, et, si custos adsit, alterutra pars, quae sibi
fauere sensit, non adpetit eum. Ex aliis quoque saepe
dimicant causis, duasque acies contrarias, duo impe-
ratores instruunt, maxime rixa in conuehendis flori-